



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

Disputatio XXVI. De effectibus Baptismi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

prout ad malum, inueniuntur in baptizatis, non propter defectum habitus virtutum sed propter concupiscentiam, qua non tollitur in Baptizato. Sicut tamen per Baptizatum dimittitur concupiscentia, vt non dominetur, ita etiam dimittitur vitiumque dicitur, ne homo ab his superetur.

DISPUTATIO XXVI.

De effectibus Baptismi.



Vos possumus in genere distinguere Baptismi effectus, scilicet characterem & gratiam sanctificantem, sub qua comprehendimus omnia dona, quae ad hanc gratiam spectant, de quibus tantum in hac disputatione dicendum est. Nam de characterem nihil addendum occurrit his, quae in superioribus circa quaest. 63. D. Thomae dicta sunt.

SECTIO I.

Vtrum Baptismus vere ac proprie remittat omnem culpam.

Varij fuerunt de hac haereticorum errores, ac pene extreme contrarij. Primo quidam dixerit, Baptizatum esse inutilem & nullius efficaciam ad delenda peccata. Huius erroris primus auctor fuisse creditur Gaianus, vt colligitur ex Tertulliano libr. de Baptismo in principio. Hunc imitati sunt Manichaei ex Augustino haeres. 46. & Arcontici ex Epiphano haeres. 40. & Messaliani seu Massaliani: hos enim, vt diuersos numerat Damasc. sunt tamen iisdem apud Theodoretum, libr. 4. haeret. fabul. circa finem, & libr. 4. hist. capit. 10. & habetur etiam libr. 7. Tripar. c. 11. Huius erroris nullum inuenio fundamentum. Secundus error est, Baptizatum quidem non esse omnino inutilem, nec tamen proprie ac vere tollere peccata, sed ea tantum tegere, & facere, vt non imputentur. Huius erroris inuenitur mentio apud Augustinum varijs locis contra Pelagianos, specialiter libr. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 13. vbi tamen non refertur aliquem haereticum hoc docuisse, sed potius Pelagianos ipsi Augustino imputasse, eumque reprehendisse, quod ipsum docere existimarent, Baptizatum non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Ab eo tamen errore se omnino alienum ostendit Augustin. tum ibi, tum etiam libr. 3. cap. 3. Theodoretus autem loco supra citato in hunc fere modum explicat Messalianorum errorem. Refert enim eos dixisse: Baptizatum instar nouae culae auferre peccata, radicem vero peccati non extinguere. Epiphanius etiam haeres. 64. ex Methodio refert, Proclum quendam Origenistam dixisse, contrahi quidem nunc, & sopiri peccatum, non tamen radicitus tolli, & eiusdem erroris meminit Gregorius libro nono Registri. Epistola 39. dicens. Si qui sunt, qui dicunt, peccata in Baptismo superficialiter dimitti, quid est hac praedicatione infidelis? Hunc nihilominus errorem renouarunt hoc tempore Lutherani, qui interdum eiusdem loquendi formulis vtuntur, dicentes, Baptizatum non tollere originale peccatum, sed radere, aut tegere, aut facere, vt non imputetur: interdum vero negant delere Baptizatum omnia peccata, quamuis fortasse tollat aliqua. Fundamentum horum haereticorum est, quia Baptizatum non tollit concupiscentiam, quae tamen peccatum est, de quo dicitur ad Rom. 7. Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, & infra. Non enim, quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio: nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Actandem vterius. Igitur ego ipse mente seruo legi Dei, carne autem legi peccati. Tertius error extreme contrarius est, Baptizatum delere omnia peccata non tantum iam commissa, sed Franc. Suarez Tom. 3.

etiam quae post Baptizatum susceptum committuntur. Hunc errorem ex Luthero, Caluino, & Kemnitio, refert Bellar. lib. 1. de Baptismo c. 18. Qui tamen haeretici non videntur loqui de vera peccatorum remissione, sed de occultatione, seu non imputatione peccatorum. Fundamentum autem eorum praecipuum est, quia peccata remittuntur per solam fidem, & Baptizatum solum deseruit ad excitandam fidem, quae non minus excitari potest per memoriam Baptizati suscepti: & addunt quaedam loca Scripturae in quibus saluari, & mundari dicimur per Baptizatum, 1. Petri 3. Saluos nos facit Baptizata: ad Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquae. Quem locum tractans Aug. lib. 1. de Nup. c. 33. multum videtur huic errori fauere.

Dico primo, Baptizatum vere ac proprie delere originale culpam, & quidquid in ea veram rationem peccati habet: nam ad hoc est per se institutum. Conclusio est de fide, definita in Conc. Trid. sess. 5. can. 5. his verbis. Si quis per Iesu Christi Domini gratiam, quae in baptizate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam non tolli totum id, quod vera & propria peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit. Et statim eam veritatem confirmat varijs Scripturae testimonijs, vt est illud ad Rom. Consepulti enim sumus cum illo per Baptizatum in morte, &c. & illud cap. 8. Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu. Et hoc etiam conuincunt illa loca ad Tit. 3. & similia. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Nam, cum originale peccatum sit vera mors animae, & hominem inimicum Dei constituat, non potest Baptizatum hominem saluare, nisi vere ac proprie tollat peccatum originale, & hominem vere Dei amicum efficiat, & ad vitam spiritualem transferat, propter quod Baptizatum regeneratio appellatur, Io. 3. ad Tit. 3. prima Petri 1. dicitur etiam spiritualis circumcisio & resurrectio, ad Colos. 2. In quo & circumcisus estis, circumcisioe non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisioe Christi: consepulti enim in Baptizato, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum a mortuis. Vnde August. in Enchirid. c. 52. Quemadmodum in Christo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum, & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita & in nobis vera iustificatio. Et eandem veritatem latius statim confirmabimus simul cum sequenti conclusione. Ratio vera est, quia supponimus ex dictis de necessitate Baptizati, eum esse institutum, vt sit verum Sacramentum ad regenerandos homines in Christo: non est autem minus efficax spiritualis regeneratio Christi, quam regeneratio carnalis ex Adamo. Si ergo haec potens est ad transfundendum originale peccatum in filios Adae, multo erit potentior illa ad tollendum hoc peccatum & infundendam Christi iustitiam. Rursus non potest peccatum illud secundum id, quod in eo habet rationem culpae & maculae partim tolli, partim relinqui: neque etiam ita potest radi, quin eradicetur, quia illud peccatum, quoad culpam, vnum est indiuisibile est singulis hominibus: vnde, vel totum tollitur, vel totum manet. Itē, quidquid est culpae in eo peccato, non tollitur, nisi per infusionem diuinae gratiae, & charitatis. Gratia autem Dei & charitas, quantumuis minima, constituit hominem simpliciter Deo gratum, & amicum, atque ita excludit, quidquid habet rationem culpae, quae huic amicitiae contraria sit: qualis est culpa originalis. Denique, quod haec peccati remissio non sit sola occultatio seu non imputatio peccati, latius probandum est in materia de gratia, & de iustificatione: vbi ostenditur, veram sanctitatem, & iustitiam viuus Christi membris infundi, per quam vere ac proprie peccatis mundantur: quod ad rem praesentem satis conuincunt illa verba ad Eph. 5. Mundans eam lauacro aquae. Nam si in anima maneret peccati macula tecta, non vere mundantur

1. Pet. 3.  
Ad Tit. 3.  
Ephes. 3.  
August.

1. Conclus.  
Con. Trid.

Rom. 6.  
8.

Ad Tit. 3.

Ioan. 3.  
Ad Tit. 3.  
2. Pet. 1.  
Ad Colos. 2.

August.

Ratio conclusio.

Ephes. 5.



retur anima, sed fiet tanquam sepulchrum dealbatum: Paulus autem dicit, vere mundari, & renouari per Spiritum sanctum, qui in Baptismo nobis infunditur abunde, vt ad Titum 3. idem Apostolus tradit.

Dico secundo, Baptismus cum originali culpa simul delet omnem actualem antea commissam: si nulum fit ex parte suscipientis impedimentum.

*E. Conclij.*

Conclusio est de fide definita in Concilio Florentino in Decreto Eugenij: Huius (inquit) Sacramenti effectus est remissio omnis culpae, originalis, & actualis. Ex quibus verbis colligo, non solum per accidens, sed per se conferre Baptismus hunc effectum ex vi suae institutionis. Nam inter effectus Sacramentorum non numerantur nisi illi, ad quos sunt sacramenta ex institutione sua ordinata: & quia Concilium aequae ponit originale & actuale. Itaq; licet fortasse primum motum (vt sic dicam) instituendi hoc sacramentum, fuerit originale peccatum: tamen adaequatus effectus in hoc genere remissionis culpae, ad quem per se est ordinatum hoc sacramentum, omnia peccata complectitur: sicut de passione Christi dici solet. Primario quidem ordinatum esse à Deo occasione originali peccati, deinde tamen esse propter omnia peccata tollenda. Quod vero hoc intelligendum sit de actualibus peccatis iam commissis, quando Baptismus suscipitur, Concilium non aperte explicuit: vel quia Lutheranorum error nondum exortus erat, vel quia res nulla expositione indigebat. Non enim remittitur peccatum, nisi quod, vel contractum est, vel commissum. Non tamen hoc omnino praetermisit Concilium: subdens inferius, baptizatis non imponi satisfactionem pro peccatis praeteritis. Clarius autem hoc declarauit Concilium Tridentinum, sess. 7. Can. 9. vt statim videbimus. Potest etiam hæc assertio colligi ex eodem Concilio Tridentino, sessio. 6. per totam, vbi docet in iustificatione impij deleri omnia peccata: & hanc iustificationem dicit conferri per Baptismus: & ideo sessione 14. capit. 1. ait: Si homines iustitiam in Baptismo acceptam constanter tuerentur, non fore necessarium aliud sacramentum ad remittenda peccata, praeter Baptismus: supponens, illum sufficere ad tollenda omnia peccata, quae ante acceptam baptismalem iustitiam committuntur, prout statim aperte docet, cap. 2. In quo fundamentum iam tactum huius veritatis declarat: quia per Baptismus efficimur noua prorsus creatura in Christo, cui commorimur, & conresuscitatur. Ad quod facile applicari possunt omnia testimonia Scripturae in praecedenti conclusione adducta. Quibus addi possunt expressa verba Petri, Acto. 2. Penitemini, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum, actualium videlicet: nam horum tantum poenitentia est necessaria, & ea sunt proprie peccata aduictorum, ad quos Petrus sermonem habebat. Atque de hoc effectu Baptismi exponuntur illa verba Mich. 7. Projiciam in profundum maris omnia peccata vestra: nam per mare, Baptismus significatus est, vt 1. ad Corinth. 10. dicitur, vt late tractat August. concion. 1. in Psal. 113. dicens: Sicut Aegyptios in mari rubro, ita delicta nostra in Baptismo esse demersa, & extincta. Quod etiam notatur super Michaeam, Theodor. & Rupert. & Basil. homil. 1. in Psal. 28. circa illa verba: Dominus diluuium inhabitare facit, & Hieron. Epist. 83. ad Ocean. vbi copiose de laude Baptismi tractat.

*Con. Trid.*

*Acto. 2.*

*Mich. 7.*

*1. Cor. 10.*

*August.*

Præterea hanc fuisse antiquissimam Ecclesie fidem, constat ex Patrum traditione. Nam in primis in Concilio Carthag. 4. c. 1. inter dogmata fidei, quae debet Episcopus profiteri cum consecratur, vnum est de quo agimus. Quærendum, inquit, ab eo, si in Baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quam illa, quae voluntarie admitta sunt, dimittantur. Vnde Chryl. hom. ad baptizand. ante med. to. 5. Diuina gratia lauacrum, inquit, non corporis maculas,

*Chryl.*

sed animæ sordes mundare consuevit: etsi mollis, etsi fornicator, etsi totius malitiae nodis astrictus, cum ad notoria venerit, Solis radijs mundior eleuatur. Idem docet Basil. hom. 13. quæ est exhortatio ad Baptismus, & ho. in Pl. 59. circa illa verba, Moab labes, spei meae. Theodor. tractans illa verba, Pl. 50. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, sola (inquit) aqua Baptismi, hæc potest facere purgationem delictorum. Vbi ad eadem rem confirmandâ plura similia testimonia applicat in sensu allegorico. Eleganter Ambros. 1. de sacra. c. 4. Qui per hunc fontem transijt à peccato ad vitam. & lib. 2. cap. 4. applicat figuram de Helisæo, qui ligno in aquis misso ferrum fecit ascendere. 4. Reg. 6. & aliâ de aquis amaris, quæ dulces effectæ sunt. Exod. 15. Nam merito inquit, aqua dulcis est, in qua culpa deuoratur, & lib. 4. in Lucam. Nemo, inquit, ad certamen virtutis admittitur, nisi prius ablutus ab omnibus maculis delictorum gratiæ caelestis munere consecretur. Vnde Lactant. lib. 3. c. 26. Vno, inquit, iaculo malitia omnis abolebitur. Prosper. libr. 1. de vocat. gent. c. 5. Euacuaretur fides, quæ credit per Baptismus omnia peccata dimitti, si gratia non malis, & impijs, sed bonis & rectis probaretur impendi. In eadem sententia est perpetuo August. vt videre licet, qu. 33. in Num. vbi ad hoc accommodat figuram de aqua aspersiomis. Nu. 19. idem tract. 11. & sequentibus in Ioan. & in Enchirid. c. 64. & Oration. contra Iudæos, Paganos, & Arrianos, c. 19. & alia tam ex eodem, quam ex alijs citauimus supra in Commentarijs articulorum, disputantes de institutione, & de materia Baptismi: & infra afferimus alia agentes de illius necessitate, Rationem huius veritatis attulit sufficientem D. Tho. in art. 1. vbi eam declaratam reliquimus. Aliam verò hic addere possumus. Quia peccata actualia commissa ante Baptismus non possunt tolli per Sacramentum Poenitentiae: quia non sunt materia eius, vt infra videbimus. Ergo necesse est tolli per Baptismus per se & directe: quia non est aliud Sacramentum per se institutum ad remissionem peccatorum. Omnia autem peccata per se remittuntur per aliquod Sacramentum. Voluit enim Christus omnia peccata per Ecclesiam dimitti, medijs Sacramentis. Quæ ratio optime probat de peccatis mortalibus. Nam venialia, & necesse non est per sacramenta tolli, & fortasse per alia etiam Sacramenta remitti possunt. Sed in hoc nõ est cur multum hæreamus. Nullus enim, qui sentiat per Baptismus tolli peccata mortalia, id negabit de venialibus, quorum remissio multo facilius est. Vide probabile est, omnia Sacramenta nouæ legis habere hanc virtutem: in quo est multo maior ratio de Baptismo. Nam cum sit spiritualis hominis regeneratio, atque integra renouatio non solum auferit, quidquid spirituali vitæ contrarium est, sed omnem etiam tollit maculam & rugam, vt statim iterum dicemus.

Dico tertio: Baptismus simul remittit cum culpa omnem poenam proprie dictam: non tamen auferit omnes vitæ poenaltates. Ad intelligendam vtramque partem huius conclusionis aduertendum est, quoddam esse in hominibus lapsus defectus, qui secundum se ex principijs naturæ oriuntur, essentq; in homine in puris naturalibus condito, quantum ad substantiam, seu entitatem, aut imperfectionem eorum: huiusmodi sunt passibilibus corporis, ægrotudines, dolores, mors, fomes peccati, & inordinatio potentiarum, &c. His autem defectibus subuentum erat per originalem iustitiam, quam in primo suo parente totum genus humanum amisit: & ideo hi defectus in homine lapsio non censentur mere naturales, sed poenales, & per peccatum originale contracti: & isti significati sunt à Theologis nomine poenaltatum, vt distinguantur ab illis poenis, quæ ita sunt per diuinam iustitiâ impostæ, vt ex principijs naturæ nõ oriatur: quales sunt poenæ inferni, aut purgatorii: Ex his ergo

*lapis*

fatis clara est utraque pars conclusionis, & posterior quidem sufficienter tractata est in Commentario ar. 3. Non est enim hoc loco probandum hos defectus habere rationem poenae. Id enim in materia de originali agendum est. Hac autem veritate supposita, vel ipsa experientia, satis notum est, non auferri has poenaltates per Baptismum. Eius rei congruentes rationes dicto loco tradidimus. Prior vero pars definita est in

Concilio Florentino: hac enim ratione negat esse baptizatis imponenda opera satis factoria pro peccatis ante Baptismum commissis: quod etiam explicuimus, quætio. precedenti, art. 5. Eandem veritatem satis indicat Concil. Trid. sess. 5. can. 5. in illis verbis: Innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, ita ut nihil profusus eos ab ingressu cæli remoretur: loquitur enim de baptizatis. Expressius sess. 6. c. 14. dicit in Sacramento Pœnitentiæ, non semper totam poenam temporalem remitti (vt in Baptismo fit) quod latius repetit. sess. 14. c. 8. vbi in hoc constituit magnam differentiam inter iustificacionem, quæ per Baptismum, & per Sacramentum Pœnitentiæ fit. Atq; in hunc modum explicat multi difficile illum locum Pauli, ad Hebr. 6. Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, iterum renouari ad poenitentiam. scilicet renouatione illa, quæ in Baptismo fit, absolutam condonacionem omnium obtinendo absq; vlla satisfactione. De quo etiam intelligunt verba illa, ca. 10. eiusdem Epist. Voluntarie peccantibus nobis post acceptam noticiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. De quibus testimonijis in materia de sacrificio, & de poenitentia latius dicendum est. Solet etiam hæc veritas confirmari illis testimonijis supra tractatis, ad Rom. 6. & ad Ephel. 4. & 5. in quibus docet Paulus, per Baptismum omnino nos mori vitæ superiori, atque adeo omnino mundari, & renouari. Nam hinc rectè colligimus, ita nos per Baptismum inchoare nouam spiritualem vitam, ac si tunc denuo in gratia crearemur, ideoque omnem culpam, & reatum poenæ nobis auferri.

Tandem Ecclesiastica traditio, & perpetuus Ecclesiæ cõsensus ita intellexit hæc testimonia, & hunc Baptismi effectum, vt colligere licet ex Sanctis Patribus supra citatis, & ex Cypriano, libr. 3. ad Quiri. c. 65. & serm. de ablution. ped. vbi de Baptismo dicit, Si clauans quos parentalisis labes infecerat, vt neq; actualis nec originalis culpæ vestigia relinquat. Et Gregorius Nazianzenus Orat. 50. quæ est de Baptismo, multa dicit in hæc sententiam: & inter alia vocat Baptismum, præclarissimum, & præstantissimum beneficiorum Dei, quod non simpliciter intelligendum, sed quoad hunc effectum. Hoc idem late docet Greg. Pap. lib. 9. c. 39. vbi sepe repetit: Animam in Baptismo celestem mundiciam consequi, radicitus à peccatis absolui, peccata in Baptismo funditus dimitti, atque ad hoc confirmandum adducit illud, Ioan. 13. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus, scilicet per Baptismum, vt ipse intelligit. Vnde ait: Totus mundus dici nõ potest, cui de peccato aliquid remansit: sed nemo resistit voci veritatis, quæ ait, qui lotus est, mundus est totus. Nihil ergo ex de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse, qui redemit. Præterea Clemens Alexand. libr. 1. Paedagog. c. 6. vbi inter alia multa, quæ de effectibus Baptismi scribit: Multis, inquit, modis vocatur hoc opus, Iuacrum, quo peccata abstergimus: gratia, quæ remittuntur poenæ: quæ peccatis debentur.

Deniq; ratio huius conclusionis primario fundatur in voluntate, & institutione Christi, eademq; est, quæ præcedentium. Nam, quia hoc sacramentum est regeneratio, & per illud homo commoritur Christo, & in eo resurgit, ideo per illud perfectissime applicatur passio Christi, quantum vniciuque necesse est ad plenam totius poenæ remissionem. Præterea addi potest congruentia ex Concil. Trid. Nam peccata ante Baptismum commissa, videntur quadam ignorantia

& infirmitate profecta: quia tunc nondum homo est illuminatus à Deo, nec specialem Baptismi gratiam est consecutus, & ideo decur facilius remitti, quoad omnem poenam. Tandem Baptismus est ianua ad Ecclesiam, & quasi fundamentum illius, quam Christus cupit esse purissimam, & sine macula & ruga: & ideo voluit, vt omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam, per hoc sacramentum perfectissime mundarentur. Atque ex hac veritate sequitur, si quis ex hac vita decedat statim post receptum Baptismum, antequam aliquam culpam committat, sine vlla mora ingredi caelorum regnum & beatitudinem accipere, si nullum posuit obicem effectui Baptismi: quia nihil damnationis in eo manet. Cum enim omni culpa, & reatu poenæ liber sit, nihil in eo est, quod eum possit ab ingressu beatitudinis retardare. Et hac ratione, dicitur Baptismus aperire ianuam regni, vt statim explicabimus circa art. 7.

Dico quarto, Baptismus per se non tollit peccata, quæ subsequuntur post Baptismum ipsum receptum. Conclusio est de fide, definita in Concil. Trid. sess. 7. can. 10. de Baptismo, & colligitur etiam ex sessio. 14. can. 1. & 2. vbi ex hoc fundamento docet, necessarium esse aliud sacramentum præter Baptismum, quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicetur. Et ideo sancti Patres, Pœnitentiam vocarunt secundam tabulam post naufragium: vt idem Conciliū notauit, sess. 6. c. 14. De qua re fusius est in seq. tom. dicendum, in quo de poenitentia sacramento, eiusq; necessitate disputabimus. Inde enim sumendum est huius veritatis fundamentum: quia si memoria Baptismi præteriti sufficeret ad tollenda peccata post baptismum commissa, propter hunc effectum non esset aliud Sacramentum necessarium. Deinde, si illud esset sufficiens remedium omnium peccatorum, non solum eadem facilitate, qua peccata antecedentia Baptismum, verum etiam quodammodo maiori tollerentur: quia facilius est recordari Baptismi suscepti, quam de nouo illud suscipere: consequens autem est contra Paulum ad Hebr. 6. vt in præcedenti assercione dicebamus, & contra communem Patrum traditionem: qui hac ratione vocant Pœnitentiam post Baptismum necessariam, laboriosum Baptismum.

Præterea contrarius error hæreticorum procedit ex alijs falsis & erroneis principijs: scilicet, quod sacramenta non aliter deseruiant ad remissionem peccati, quam excitando fidem, & quod peccata sola fide, & fide ac particulari fiducia tollantur, firmiter credendo, sibi non imputari propter Christum, seu propter Baptismum susceptum: quæ sunt falsa & hæretica dogmata, vt partim in superibus tractando de sacramentis in genere dictum est: partim in prædicto tractatu de Pœnitentia demonstrabimus.

Ad fundamentum ergo secundi erroris de concupiscentia, quæ manet in renatis, satis dictum est in Commentario, artic. 3. illam non esse vere ac proprie peccatum: atq; adeo ob eam causam negari non posse, quin per Baptismum omnia peccata remittantur. Cum ergo dicunt hæretici, peccata non tolli radicitus per Baptismum, si tantum hoc dicerent, quia non tollitur fomes peccatorum, eos tantum admonere oporteret, vt sensum tenerent: & linguam corrigerent: si enim Paulus dicit. Radix malorum omnium est cupiditas, etiam nos dicere possumus fomitem, & concupiscentiam effrænem esse radicem & omnium peccatorum: quatenus ergo Baptismus non auferat hanc radicem, dici potest non tollere radicitus peccata, quia non tollit radicem illorum: & hoc ad summum probat hæreticorum fundamentum. Tamen non est hic illorum sensus, neque illorum verborum secundum proprietatem, & rigorem, sed quod de facto non tollitur per Baptismum, quidquid habet rationem culpæ & peccati, & hic sensus est hæreticus: & ad illum confirmandum nihil omnino valet prædictum fundamentum, vt ostensum est.

Franc. Suarez Tom. 3.

Alia cong.

Corol.

4. Conclus.

Con. Trid.

Heb. 6.

Ad primam errorem supra adductum, respondetur.

Ad fundamentum secundi erroris respondetur.



*Ad funda-  
mentum  
tertij erro-  
ru respon-  
detur.*

Ad fundamentum terrij erroris iam dictum est, esse hæreticum illud dogma, quod sacramenta solû concurrant ad remissionem peccatorum excitando fidẽ. Testimonia vero Scripturæ ibi citata solum probant, Baptismum, cum confertur, perfecte mundare hominem, & constituere illum in statu salutis, ita vt, si non ponat impedimentum, in fallibiliter æternam salutem consequatur ratione Baptismi suscepti: si vero impedimentum ponat, non est necesse, vt per Baptismum auferatur, neq; hoc dicitur in citatis locis: sed satis est, quod per Baptismum constituatur in eo status in quo sit capax alterius remedij, quod institutum est ad huiusmodi impedimenta seu peccata tollenda. Et hic est sine dubio sensus Augustini in loco ibi citato: cum enim dixisset: Per Baptismum semel datû fieri, vt non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur: subdit: Quid enim prodesset, vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet? Quæ quidem sententia verissima est. Est autem conuenienter exponenda, quod August. facere prætermisit: quia tunc res satis clara videbatur, & contrarius error nondum fuerat exortus. Itaq; aliter Pœnitentia respicit futurum Baptismum, vt peccata deleat ante Baptismum commissa: aliter vero iam susceptum, vt tollat ea, quæ postea commissa sunt, nam respectu antecedentium peccatorum respicit Baptismum, vt vnicuius remedium, quo tollenda sunt, & in cuius voto interdum per pœnitentiam tolluntur: respectu vero subsequenterum peccatorum, respicit Baptismum, seu potius supponit illum, vt constituentem subiectum capax illius remedij, quo talia peccata tollenda sunt. Nam per Baptismum imprimatur character, quo fit homo capax aliorum Sacramentorum, & habet ius ad alia remedia, quæ aduersus peccata instituta sunt.

#### SECTIO II.

*Vtrum Baptismus conferat gratiam & supernaturalia dona hominibus, vel alios effectus in eis habeat.*

Hæc sectio est facilima, suppositis, quæ diximus, solumq; ad doctrinæ complementum proponitur, & ideo est breuissime expedienda.

*1. Propos.*

Dico ergo primo, Baptismus confert baptizatis gratiam, & dona infusa, si suscipiens non ponat obicem. Conclusio sub his terminis est certa de fide. Nam licet olim fuerit dubitatum, an gratia & virtutes infusæ sint qualitates & habitus inhærentes nobis, & ab Innocentio III. in cap. Maiores. de Baptismo, & à Clemente V. cum Concil. Viennens. in Clement. 1. de sum. Trinit. & fide Catholica: hoc non fuerit de fide definitum: sed solum probabilis existimatum: iam tamen de fide certum est, Baptismum nobis conferre hunc effectum: præsertim, si nos abstrahamus à nominibus qualitatibus, & habitibus, & loquamur de iustitia inhærente: & de gratia, & donis, seu de fide, spe, & charitate: sic enim de fide est, Sacramenta nouæ legis, gratiam conferre non ponentibus obicem, semper & omnibus ex opere operato: vt supra late dictum est: & definiunt Conc. Florenti. sub Eugenio IV. & Trident. sess. 7. can. 6. 7. & 8. de sacrament. in genere. Sed Baptismus est Sacramentum nouæ legis: ergo. Deinde Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. definit, iustificatione fieri per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, scilicet charitatis, quæ in cordibus eorum diffunditur, qui iustificantur, atque ipsi inhæret, simul cum fide, & spe. Nam hæc omnia. Simul infusa accipit homo, qui iustificatur, cum remissione peccatorum. Et ibidem definit, causam instrumentalem huius iustificationis esse Baptismum: ergo definit, Baptismum conferre gratiam, dona, & iustitiam inhærentem nobis. Deniq; definit, iustificationem non tantum esse remissionem peccatorum, sed etiam internam hominis renouationem, & sanctificationem hominis

*Con. Flor.  
Con. Tri.*

per gratiam: & totum hoc ait conferri per Baptismum: ergo vtrumque est de fide certum.

Huius autem doctrinæ fundamentum præcipue pendet ex doctrina de iustificatione, vbi ex professo probandum est, peccatum auferri per infusionem gratiæ, & donorum. Nunc sufficiat attingere pauca testimonia Scripturæ & Sanctorum, in quibus de Baptismo in speciali sermo est. Propter hanc enim causam ait Paulus ad Ro. 6. Per Baptismum ita nos mori peccato, vt viuamus Deo: & complantatos Christo, non solum fieri similes morti eius, sed etiam resurrecti. Quod etiam repetit ad Colossen. 2. ergo per Baptismum non solum moritur peccatum in nobis, sed etiam anima per gratiam viuificatur. Vnde ad Ephel. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundas eam lauacro aquæ, vt sit sancta & immaculata. Vtrumque ergo efficitur per Baptismum. Et ideo Christus Ioan. 3. agens de nauitate spiritali Baptismi. Quod natum, inquit, est ex carne caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est: ac si diceret: per hanc regenerationem, non accipere hominem corporalem & humanam vitam, sed spirituale per interna & spiritalia dona. Vnde Cyrill. ibi lib. 2. c. 43. Natum, inquit, ex Spiritu, spiritum hominis dicimus, quoniam per ipsum ad Deum reformati, ac proprio eius caractere insigniti, ad suam (vt ita dicam) qualitatem animi transformamur. Atque hoc pacto, inquit, illud etiam Pauli intelligi potest: Filiioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Sic enim per gratiã dicimur Christum induere, ad Gal. 4. Quod etiam declarans Basil. Homil. de Baptismo in 2. par. illius versus finem, inquit. Quemadmodum, quod secundum carnem natum est ex aliquo, tale est, quale id, ex quo natum est: ita & nos ex spiritu natos spiritum fieri: spiritum dico, non secundum immensam illam & humano sensu incomprehensibilem Spiritus sancti gloriam, sed secundum eam, quæ in diuisione charismatum Dei conspicitur. Atq; ibidem explicat hunc effectum exemplo ferri, quod igni immeritur, non solum purificatur, sed etiam in seipso illustrius & splendidius fit: ita enim anima per Baptismum non solum peccatorum maculis purgatur, sed etiam iustificationis gratia decoratur atque perficitur. Quam doctrinam in tota illa homiliale profequitur, & eadem reperitur apud omnes Patres de Baptismo scribentes. Dionys. de Ecclesiast. Hier. cap. 22. Tertull. lib. de Baptif. Damas. lib. 4. de fide, c. 10. Chrys. optime Homil. 24. in Ioan. & Hom. ad neophyt. cuius verba tractat optime August. lib. 1. contralulian. ante medium, qui etiam legi potest in Enchyr. c. 57. lib. 1. de Nup. c. 12. & lib. 2. de peccato. merit. c. 9. & 27. & Episto. 57. ferretora q. 2. & Cyprian. epist. 63. Prosper. de Vocat. gent. lib. 1. c. 5. circa finem: ac denique etiam Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 14. & 15. & alij sect. præced. in 2. & 3. conclu. citati.

Ratio autem huius veritatis ex eisdem principijs & testimonijs sumenda est: nam Baptismus institutus est ad remittendum originale peccatum, & actuale, si cum illo coniunctum sit. Sed peccatum originale, & mortale non remittitur sine infusione gratiæ, & iustitiæ inhærentis homini. Ergo Baptismus infundit gratiam, & iustitiam & virtutes omnes, quæ gratiam comitantur. Et confirmatur, nã Baptismus facit hominẽ membrũ Christi, & hæredem vitæ æternæ. Sed hoc fit in nobis p gratiã, & charitatẽ infusam in cordibus nostris: ergo hæc omnia dona cõfert Baptismus.

Sed quares, an hæc assertio sit æque certa in omnibus baptizatis, tam in infantibus quam adultis. In hoc duo extrema vitanda sunt: vnum fuit antiquum, quod Baptismus tribuat hæc dona adultis, non vero infantibus, vt attingit D. Thomas, hic art. 6. quia infantes non videntur esse capaces harum virtutum, cum nec possint earum actus exercere, neque earum infusioni consentire: cum tamen Concilium Tridentinum

dentium doceat, susceptionem horum donorum debere esse voluntaria, vt possit iustificare. Sed haec sententia antiquata iam est, eamq; euidenter confutat ex principis fidei D. Thom. citans August. 6. Est enim aperte erronea, nam, vt recte dixit Cyprian. Epist. 59. Vna est diuini muneris aequalitas apud omnes sine infantem, siue maiores natu. Nam gratia quae baptizatis datur non pro aetate accipientium maior vel minor tribuitur, sed de pietate, atque indulgentia paterna aequalis omnibus praebetur. Nam Deus, vt personam non accipit, sic neque aetatem, cum se omnibus ad coelestis gratiae consecutionem aequalitate librata praebet patrem. Vnde Concil. Trid. sess. 5. c. 5. generaliter, & sine distinctione definit, baptizatis gratiam conferri, per quam & veterem hominem exuunt & nouum induunt, & sess. 7. can. 13. de Baptismo, definit, paruulos baptizatos inter fideles computandos esse, quia nimirum iam habent fidem infusam per baptismum, vt August. docuit lib. 1. de Peccator. merit. ca. 19. & lib. 3. c. 2. Est autem eadem ratio de ceteris donis, ac de fide, maxime, quia si paruulis datur fides, non mortua, sed viua; quia aequae sunt capaces illius absq; obice, vel impedimento. Et haec est ratio euidens huius veritatis, suppositis principis fidei: quia Sacramentum coeferat suum effectum non ponenti obicem. Sed paruuli sunt capaces effectus Baptismi: alioqui, vel non essent capaces Sacramenti, vel saltem indigne illis tribueretur: & non ponunt obicem: ergo recipiunt gratiae effectum. Neq; enim refert, quod non possunt propria voluntate consentire, vt iustificentur. Sufficit enim, quod eis sit voluntaria illa susceptio voluntate capitis. Nam voluntarium non minus est de ratione culpa, quam iustitia, & nihilominus voluntas capitis naturalis, seu primi parentis sufficit, vt veram culpam voluntariam contrahant. Ergo multo magis voluntas capitis gratuiti, primique spiritualis parentis sufficit vt veram iustitiam recipiant. Neque etiam obicit, quod pro ea aetate non possint actus iustitiae exercere, quia, cum non fit acquirenda per proprios actus, sed a Deo infundenda, satis est, quod statim possit suum effectum formalem habere, sanctificando animam, dando illi ius intrinsecum ad vitam aeternam, & apte disponendo potestas, vt possint suo tempore actus iustitiae elicere: non est igitur haec veritas minus certa in paruulis, quam in adultis.

Aliud extremum nouum est, veritatem hanc certiorum esse in paruulis, quam in adultis, quia de vtriusque est de fide certum iustificari per Baptismum, & per iustitiam ipsi inherere, vt Concilium Tridentinum definit. Haec autem iustitia cum in paruulis non possit esse actualis, necessario esse debet habitualis: in adultis vero, cum reperitur actualis iustitia inherens, non potest tam necessaria consecutione inferri dari eis per Baptismum, habitualement iustitiam. Sed haec etiam sententia falsa est. Non est enim minus certum infundi adultis non ponentibus obicem habitualement iustitiam, quam paruulis. Primo, quia doctrina de iustificatione Concilii Tridentini, sess. 6. cap. 7. generalis est, imo magis propria adultorum, quam paruulorum: nam agit de his, qui per propriam dispositionem iustificantur, & tamen illis dicit infundi iustitiam inherentem, cuius instrumentalis causa est Baptismus. Haec autem non est iustitia actualis sed habitualis: quia iustitia actualis nihil aliud est, praeter actus, per quos homo se disponit ad Baptismum digne suscipiendum, qui non fiunt per Baptismum, sed illi supponuntur. Adde Concilium ipsum distinguere iustitiam, quae per Baptismum infunditur, ab actuali dispositione suscipientis. Nam dicit, illam infundi dispositioni proportionatam. Loquitur ergo de iustitia inherente distincta ab actibus suscipientis. Secundo idem colligitur ex doctrina eiusdem Concilii de Sacramento in genere. Cum enim definit, sacramenta coferre gratiam omnibus, & semper cer-

ta, ac definita lege Dei, si non ponant obicem, non tantum loquitur de gratia actuali, sed etiam de multo magis de habituali, vt in superioribus ostensum est. Ergo si Baptismus habet efficaciam ad conferendam gratiam habitualement paruulis, eandem semper confert omnibus non ponentibus obicem. Sed adulti non ponunt obicem, eo quod accedant cum actibus iustitiae, nam potius per hos actus omnino tollitur obex: ergo tam est certum, Baptismum conferre hanc gratiam adultis, quam paruulis. Tertio idem colligi potest ex doctrina propria, & speciali huius Sacramenti. Nam Baptismus, sicut est vnus in omnibus, ita & regenerationem spiritualem eandem & eiusdem rationis in omnibus efficit. Confert ergo omnibus idem esse, & eandem spiritualem vitam permanentem, & durabilem. Quam rationem indicauit Concilium Viennense, dicens: Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per Baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem, quae asserit tam paruulis, quam adultis, dari in Baptismo informantem gratiam, duximus eligendam. Et similiter Patres omnes locis supra citatis agentes de donis, quae per Baptismum dantur, indifferenter loquuntur de paruulis, & adultis. Est ergo res in vtrisque aequae certa.

Neque obicit ratio in contrarium facta: tum quia haec veritas non solum nititur illo principio de necessitate absoluta gratiae inherens: sed etiam altero de efficacia sacramenti, ad suum effectum prestandum: tum etiam quia, licet in adultis reperiantur actus iustitiae inherens, tamen illi non sunt causa formalis iustificationis, sed dispositiua, vt aperte docet Concilium Tridentinum, & ideo etiam in illis necessaria est iustitia inherens, distincta ab actibus, vt ex eodem Concilio declarauimus.

Sed quaerit vterius aliquis, vtrum praeter habitualement iustitiam, conferat Baptismus aliquam sacramentalem gratiam. Respondeo primo, certum esse non infundi aliquem habitum: nam (praetermissis characteribus, de quibus iam non agimus) certum est, nullum habitum infundi, praeter eos, qui semper, & quasi ex natura rei, gratiam habitualement comitatur, vt constat ex generali doctrina supra tradita de sacramentis in genere. Deinde ipsa met iustitia baptismalis, quatenus est regeneratiua, & secum asfert remissionem omnis culpa & poenae, dici potest gratia sacramentalis huius sacramenti, quia sub illo respectu & ratione est illius propria. At vero probabile est ratione huius sacramenti dari aliqua auxilia actualia maiora, quam ipsi gratia secundum se debentur, non quidem talia, vt baptizatus in gratia confirmetur, aut infallibile donum perseverantiae recipiat. Hoc enim haereticorum figmentum est vanum & sine vlllo fundamento, ac merito damnatum in Trid. sess. 7. can. 6. de Baptismo. Est enim non solum contra scripturam, & Ecclesiae sensum, sed etiam contra experientiam ipsam, vt latius in materia de gratia & charitate disseritur: Sed dari dicimus aliquod maius auxilium, quo homo frequentius, & vehementius exciteretur, & adiuuaretur, vel ad superandum concupiscentiae fomitem, vel ad exercenda illa munera, ad quae Baptismus obligat. Nam per Baptismum efficimur membra Christi, & Ecclesiae, & capaces aliorum Sacramentorum. Pie igitur credi potest, ratione illius dari aliquod speciale auxilium ad ferendum Christi iugum fortiter ac suauiter, & ad digne accedendum ad cetera Sacramenta, qui effectus satis consentaneus est doctrinis sanctorum Patrum supra citatis, quamuis illud non tam distincte explicuerint. Praeter hos autem effectus nulli alij sunt, qui vere possint Baptismo attribui, tanquam proprie sacramentales. Quod ideo addo, quia interdum Baptismus sanat hominem corporaliter, aut alium simile miraculosum effectum operatur. Sed hoc non est ex certa lege, & promissione, neque ex directa in-

Con. Vienn.

Ad rationem opposita sententiae. Respondeatur.

Conc. Trid.

Dubium a. hnd.



stitutione Sacramenti, sed ex speciali Dei beneficio, & extraordinaria providentia: & ideo huiusmodi miracula non pertinent ad sacramentales effectus, nec possunt aliquo probabili fundamento alij effectus præter dictos huic Sacramento tribui, quia nec de illis facta est promissio, nec ex traditione habentur, aut ratione aliqua ostendi possunt. In his autem, quæ pendunt ex Christi voluntate, & institutione, nihil est asserendum, nisi quod, aut reuelatum sit, aut ex reuelatis colligatur.

Quapropter vana sunt hæreticorum figmenta, qui novos quosdam Baptismi effectus excogitarunt, quales sunt, reddere hominem baptizatum liberum omni lege diuina & humana: quamuis diuerso modo, quia non solum tales sunt hi effectus, vt nullo modo obligari potest: per diuinam autem licet obligetur, tamen transgressio illius non imputatur ad culpam propter Baptismum. Vnde vterius addunt: Baptismum ea ratione confirmare hominem in iustitia suscepta, quia vel facit illum impeccabilem, vel facit, vt licet homo peccet, tamen peccatum ei non imputetur, dummodo firmiter credat sibi non imputari: neque esse vllum crimen, quod possit eum gratia baptismali priuare. Sed hæc & similia merito damnata sunt in Concilio Tridentino, sess. can. 6. 7. 8. 9. & 10. quia non solum tales sunt hi effectus, vt nullo Ecclesiastico, aut probabili fundamento nitantur, sed et sunt ex his, qui principiis, aut dogmatibus fidei repugnant, quod latius demonstrare ad hunc locum non spectat.

Conc. Trid.

ARTICVLVS V.

Verum conuenienter attribuantur Baptismo quidam actus.

4 d. 4. q. 2.  
ar. 2. q. 3. 4.  
Et 3. q. 4.  
5 q. 2. ar.  
3 q. 2. cor.  
ar. 2. ad 1.  
Et ar. 1. q. 1.  
ad 1. Et quo.  
6. ar. 4. cor.

**A**D quintum sic proceditur. Videtur, quod in conuenienter attribuantur Baptismo pro effectibus quidam actus virtutum, scilicet, incorporatio ad Christum, illuminatio, & secundatio. Non enim Baptismus datur adulto, nisi fidei, secundum illud Mar. ultim. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sed per fidem aliquis incorporatur Christo, secundum illud Ephes. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Ergo nullus baptizatur, nisi iam Christo incorporatus. Non ergo est effectus Baptismi incorporari Christo.

2. Præterea, illuminatio fit per doctrinam secundum illud Ephes. 3. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, illuminare omnes, &c. Sed doctrina præcedit Baptismum in catechismo. Non ergo est effectus Baptismi.

3. Præterea, secunditas pertinet ad generationem actiui, sed per Baptismum aliquis regeneratur spiritualiter: ergo secunditas non est effectus Baptismi.

2. etc. hier.

Sed contra est, quod August. \* dicit in libr. de Baptismo paruulorum, quod ad hoc valet Baptismus vt baptizati, Christo incorporentur. Dionys. \* etiam ca. 2. eccles. hier. illuminationem attribuit Baptismo. Et super illud Psal. 2. super aqua refectionis: dicit gloss. † quod anima peccatorum ariditate sterilius secundatur per Baptismum.

Est glo. Conf. si d. iuper hunc locum, Psalm. 22.

Respondet dicendum, quod per Baptismum aliquis regeneratur in spiritualem vitam, quæ est propria fidelium Christi: sicut Apostolus dicit Gal. 2. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filij Dei. Vita autem non est, nisi membrorum capti vntorum, à quo sensum & motum suscipiunt. Et ideo necesse est, quod per Baptismum aliquis incorporetur Christo, quasi membrum ipsius. Sicut autem à capite naturali deriuatur ad membra sensus & motus: ita à capite spirituali, quod est Christus, deriuatur ad membra eius sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, & motus spiritualis, qui est per gratia instinctum. Vnde Ioan. 1. dicitur: Vidimus eum plenum gratia & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Et ideo consequens est, quod baptizati illuminentur

à Christo circa cognitionem veritatis, & secundentur ab eo, secunditate bonorum operum per gratia infusionem.

Ad primum ergo dicendum, quod adulti prius credentes in Christum, sunt ei incorporati ment aliter, sed postmodum cum baptizantur incorporantur ei quodammodo corpor aliter: scilicet per visibile sacramentum, sine cuius proposito nec mentaliter incorporari potuissent.

Ad secundum dicendum, quod doctor illuminat exterius per ministerium catechizando, sed Deus illuminat interius baptizatos præparans corda eorum ad recipiendam doctrinam veritatis, secundum illud Ioan. 6. Est scriptum in Prophetis. Erunt omnes docibiles Dei.

Ad tertium dicendum, quod effectus Baptismi ponitur factitas, quæ aliquis producit bona opera, non autem secunditas, quæ aliquis generat alios in Christo, sicut Apostolus dicit, 1 ad Cor. 4. In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.

COMMENTARIVS.

In hoc articulo non explicat D. Thomas nouum Baptismi effectum: quia reuera nullus superest explicandus, vt dixi, sed declarat, non nullas voces, quibus Baptismi effectus solent à Patribus significari, præsertim has tres, Incorporari Christo: illuminari, ac secundari: nam primum tribuitur Baptismo, ratione gratia, & charitatis, per quam homo vnitur spiritualiter Christo. Item, ratione characteris, per quem speciali modo consignatur, vt sit membrum Christi, & Ecclesie, quæ est corpus eius: & ideo recte dicit D. Thomas in solutione ad primum, quod licet per fidem, & gratiam fiat homo spirituale membrum Christi, tamen per illa, vt accepta per hoc sacramentum visibile, quodammodo incorporatur ei, corporaliter, & visibiliter, quia fit membrum Ecclesie visibile, & fit capax influxus quodammodo sensibilis, proueniens à capite Christo per sacramenta sensibilia. Secundum, scilicet illuminare, tribuitur Baptismo ratione fidei: est enim fidei sacramentum, & specialis eius professio. Tertium, scilicet secunditas, tribuitur Baptismo, ratione aliarum virtutum, & bonorum operum ab eis proceduntium. Significat autem D. Thom. in solutionibus ad 2. & 3. hos actus non tribui Baptismo solum propter infusionem habituum, sed etiam, quia Deus specialiter præparat cor hominis baptizati ad suscipiendam, & operandam doctrinam veritatis. Quod intelligendum videtur iuxta dicta in fine præcedentis disputationis.

ARTICVLVS VI.

Verum pueri in Baptismo consequantur gratiam & virtutes.

**A**D sextum sic proceditur. Videtur, quod pueri in Baptismo non consequantur gratiam & virtutes. Gratia enim & virtutes non habentur sine fide & charitate. Sed fides, vt August. \* dicit, consistit in credentium voluntate, similiter etiam charitas consistit in diligentium voluntate, cuius vsu pueri non habent, & sic non habent fidem & charitatem. Pueri in Baptismo non recipiunt gratiam & virtutes.

2. Præterea, Super illud Ioan. 14. Maior horum faciet, dicit August. \* quod ex impio iustus fiat in illo, sed non sine illo Christus operatur. Sed puer, cum non habeat vsu liberi arbitrij, non cooperatur Christo ad suam iustificationem, imò quandoque pro posse renuitur. Ergo non iustificatur per gratiam & virtutes.

3. Præterea, Rom. 4. dicitur, Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratia Dei. Sed puer non est credens in eum, qui iustificat impium. Ergo non consequitur gratiam iustificantem neque virtutes.

4. Præterea